

*ad dextram Patris, non ratione humanitatis, sed ratione divinitatis. Si- tione Sym-
mili de veste regis purpurea explicationem iterum fuit. Obser- boli.
vandum vero est, quantum difficultatis & periculi, in explicatio-
ne hujus doctrinæ, inesse sentiat Bellarminus: hæc subtilia, & sub-
limia sunt: ideo Pastor magnam diligentiam adhibere debet, ut non er-
ret, & quam maxime fieri poterit, dilucide populum instruat.*

§. 31. Ita 1. Bellarmino iudice, *probabilior est orthodoxo- Resp. r.
rum explicatio sessionis ad dextram. Accipimus 2. Patres fere 2.
omnes ita exponere, & scripturas idem indicare ipsas. At 3. quo- 3.
modo dextra simpliciter accipitur pro latere, id est, pro loco æqua-
li? Dextra Dei simpliciter accepta, ipsa Dei virtus est & potentia.
Quam vero Cornelius allegavit ex scripturis sedentem ad dex-
tram regis Salomonis, Bathsabam, simpliciter accipiendo, non se-
dit ea loco æquali. Hoc vero 4. maximum est, quod in ultima 4.
Quæstionis propositæ resolutione, ait, *sessionem humanitati datam
non ipsi in se, sed in supposito.* Conferatur cum hac responsione, quod
Cornelius diserte dixit: *propriissime IPSA humanitas Christi sedet a
dextris Dei PER SE: HÆC enim HIC & ALIBI dicitur as-
sumpta &c.* Supra §. 8. Vicit ergo eorum, quos Bellarminus *hereti-
cos* dixit, orthodoxa doctrina & expositio. Namque asserente Bel-
larmino, *omnibus fere Patribus ita exponentibus, ipsis etiam scripturis
indicantibus, per sessionem ad dextram, æqualis gloria, potentia,
majestas, divina scilicet, & infinita, intelligitur. Affirmante
vero Cornelio, suamque assertionem, eadem scripturarum, sym-
bolique autoritate, confirmante, IPSA humanitas PER SE sedet
ad dextram Patris. Sedet ergo Christus secundum humanitatem
suam, juxta quam ascendit, ad dextram Patris.**

§. 32. Non quidem 5. facta est per incarnationem huma- 5.
*nitas Deus, in naturæ abstracto, postquam tamen Verbum factum
est caro, utique hæc caro Verbum est, Deus est, filius Dei est; uti
& verbum, in concreto naturæ, caro factum est. Inde adeo hic
Dei filius, caro factus, etiam secundum humanam naturam natu-
ralis Dei filius est. Atque uti per unionem natura hæc humana
particeps facta est divinæ Verbi hypostaseos, ut in ea & per eam
subsistat, ita per exaltationem & sessionem a dextris Dei, divini
dominii revera particeps facta est. Quomodo vero 6. apposita dici 6.
potest*